



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De applicatione Missæ 98

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

De applicatione Missæ.

CAP. XCVIII.



O loco videndum est, quid per applicare missam intelligatur: deinde quæ sit hac de re controuersia, aut non inter Ecclesias Christi earumque aduersarios. Vnde tertio cognoscetur, in quo aduersarij iuste aut iniuste Christianos doctores accusent.

Quam
hoc sit ve-
rum, lege
quod scri-
bit magni
nominis
scriptor
Antoni-
nus Ar-
chiepisco-
pus Flo-
rentinus
in summa
sua, parte
3. titulo
13. cap. 6.
para-
graph. 13.

De primo. Antehac & adhuc hodie, proh dolor, apud plerosque per Applicare missam intelligitur, quod sacerdos intentione ac deputatione sua in Secreta missæ, sacrificium Christi, & proprium suum opus missandi cui velit applicet, quod unusquisque gratiam & benedictionem à Domino pro corpore & anima quam optimè cõsequatur. Adeo vt hominibus persuasum sit, quod nullum vtilius, nullum coram Deo fructuosius bonum opus facere possint, quàm si missas pecunia emant, earumque largiendo & donando se participes reddat. Hoc certissimum est, & luce meridiana clarius. Interim populus aut nihil admodum parum docetur, quomodo sacrificium Christi, fideliumque orationem apud missam sibiipsis per propriam fidem applicare debeat, & quod ea sine fide nemo cuiquam mortalium applicare possit, quod neque adhuc apud Aduersarios docetur.

Si verò proprie, simpliciter & perspicuè de hoc negotio loqui velimus, quemadmodum in eiusmodi excellentibus ac diuinis rebus, quæ omnium Christianorum vel æternam salutem, vel sempiternam perditionem concernunt, quàm simplicissimè propriissimè & apertissimè loquendum est, vera applicatio missæ nihil aliud esse potest, quàm quod præsens Ecclesia Christi per sacerdotem & cum sacerdote, pro aliis quoque hominibus orat, & gratias agit: vt quæ sacerdos per Christianam doctrinam & adhortationem homines excitet, præparet, & sanctificet, quod propria fide sacrificium Domini nostri Iesu Christi, gratiam noui & æterni Testamenti, remissionem peccatorum, & omnimodam benedictionem bonitatis diuinæ ex animo per Christum Dominum nostrum petant & orent, in sacramentis percipiant, verèque sibiipsis applicent. Quibus ad hunc modum verè fidelibus sacerdos postea & minister summi Pontificis nostri Iesu Christi, qui ibidem præsens est in medio suorum, & ad salutem eorum omnia peragit, vnà cum sacramentis remissionem peccatorum, confirmationem noui & æterni Testamenti, denique beatam communionem Christi verè tradit & applicat. Hæc sola est Christiana applicatio missæ.

Haftenus de significatione & vsu locutionis Applicare Missam.

Quid